

Circuli minoris linguae germanicae de parte practica sacerdotii ministerialis

Introductio

In nostro coetu minore linguae germanicae propositiones et quaestiones ab Em.mo Relatore Card. Y Tarancon in septem puncta divisas examinavimus, ultima excepta quae, deficiente tempore, nonnisi superficialiter tractata est.

Optabatur ut de quaestionibus maioris momenti votatio in aula fiat, praecipue de quaestionibus ad caelibatum et viros uxoratos ordinandos spectantibus.

De textu definitive praeparando, qui ad quaestiones de sacerdotio ministeriali pertinet, Circulus noster proponit, ut unus Textus solus perficiatur, qui post introductionem generalem quaestiones doctrinales, et practicas coniunctim tractet.

Maiorem partem nostrae disceptationis quaestio de actione sociali et politica obtinuit. Quia apud nos plures in conditionibus specialibus quoad libertatem politicam viventes aderant, toti Synodo commendandum nobis visum est, ut de his rebus caute et moderate loquetur, ne quid damni illis oriatur.

Aliqua puncta legam vobis, cetera diligentiae vestrae commendo.

I.

De munere sacerdotali

Opus sacerdotii ministerialis est praedicando Verbum Dei, opere sacramentali unionis cum Christo operato necnon fraterno pascendi ministerio unitatem Ecclesiae aedificare, quae ministeria Ecclesiae principaliora, nempe praedicatio, cultus divinus et ministerium fraternum, sacerdotii ministerialis constitutiva sunt.

Ministerium sacerdotis se non minus ad unitatem Ecclesiae universalis refert quam ad communitatem ei concreto commissam, quapropter uno cum episcopo et presbyterio tantummodo exerceri valeat, quod validum etiam putetur pro sacerdotibus communitati particulari non adiunctis.

Verbi Dei praedicatio poscit una ex parte traditionem in consensu cum Ecclesiae universalis fidei doctrina immutatam et integram, ex altera autem parte Verbum Dei tali modo exponi oportet, ut omnes homines in eorum respectiva situatione illud Verbum tamquam verbum salutis intelligere possint. Sub hac iam ratione sacerdotes tenentur formationem propriam continuare, ut forma gregis sint ex animo. Praedicationis munus toti Ecclesiae incumbit, non tantummodo sacerdoti (LG I, II), nihilominus praedicatio authentica opus sacerdotis ab episcopo missi est. Ubi hoc in munere delegatio partialis fit, sacerdotis est curare ut omnibus hominibus ei commissis evangelium pleno sensu praedicetur, quo etiam indoles missionaria Ecclesiae perficitur. *) legitime

Celebratio Eucharistiae sacerdotis munus eximium et centrale est, quo unio fidelium cum Christo et inter se quam profundissime et efficacissime perficitur. Etiam sacerdotis est administrare alia sacramenta, imprimis opus reconciliationis, quo unio illa praeparatur et munitur.

Munus pascendi fideles, sacerdoti ~~XXXXXXXXXX~~ per sacramentum ordinis auctoritative et per missionem ab episcopo datam rate commissum, unitati communitatis necnon unioni omnium ministeriorum et charismatum et activitatum Ecclesiae a Christo per Spiritum datorum inservit, cui muneri omnibus viribus suis et toto suo tempore vacare debet. In huius muneris executione sacerdotem oportet libertatem decisionis laicorum in campis eis competentibus observare.

Indoli muneris sacerdotalis et credibilitati testimonii sacerdotis correspondet ut vita et doctrina eius congruant. Sacerdotium postulat dedicationem totalem ex parte sacerdotis et ideo oportet eum ab omni onere vel opere liberum esse, quo munere suo impediatur. A fortiori opinio sacerdotium ad tempus tantum suscipi posse repugnat.

II.

Ministerium pastorale et saeculares operositates.

Haec quaestio aequae solvi nequit nisi character specificus et dignitas sacerdotii clare intelliguntur et agnoscuntur, praepremis ab ipsis presbyteris.

1. Labor civilis sacerdotum

- a. Ministerium pastorale est activitas humana plene valida et ipsum sacerdotem in fide viventem satisfaciens. De regula ordinaria tribuatur officio pastoralis plenum tempus.
- b. Ex sollicitudine pastoralis criterium principale sumatur, ex quo iudicatur an presbyteros alias activitates exercere in casu concreto conveniat. Labor manualis presbyterorum operariorum necnon exercitium alicuius professionis propter motiva pastoralia justificari possunt.
- c. Motivationes personales (e.g. sustentatio oeconomica, plena integratio in societate, aequilibrium psychologicum etc) per exceptionem tantum labores civiles iustificant.
- d. Multae activitates quae adhuc non raro a sacerdotibus exercebantur (v.g. activitas scientifica, magistralis, administrativa) serio examinandae sunt, utrum a laicis aptius exerceri possint.

2. Actio socialis et politica

Thema iustitiae hic tractatur sub speciali aspectu responsabilitatis hierarchiae.

- a. Sacerdoti qua civi competit ius proprias optiones formandi et semper quidem sub ratione iustitiae et responsabilitatis pastoralis.
- b. Ut norma statuendum est, sacerdotem renuntiare activitati militanti in determinata factione politica propter munus suum principale, inservendi nempe unitati propriae gregis.
- c. Insertio ecclesiae in mundum ut anima vel fermentum societatis non permittit evangelium praedicare praetereundo realitates concretas. Munus propheticum sacerdotibus obligationem imponit defendendi dignitatem et libertatem personae humanae atque bonum commune contra evidentes iniustitias. Tale munus pro circumstantiis diversimode exerceri debet.
- d. Sacerdotum officium est laicos instruere et animare ad colendam iustitiam in contextu sociali et politico eosque pastoralis sollicitudine prosequi, si propter optionem quandam facta ex spiritu christiano persecutionem vel iniuriam patiuntur.
- e. "Ecclesia .. ratione sui muneris et competentiae nullo modo cum communitate politica confunditur neque ad ullum systema politicum alligatur". (GS 76). Competit ei vero cum libertate apostolica denuntiare evidentes iniustitias, quia eius missio est liberare homines a iugo peccati in quo omnes iniustitiae radicanter. Ex alia parte bona voluntas et boni effectus eorum, qui se rebus publicis dedicant aestimandae sunt. Hoc cum verae insertioni in mundum serviat nequaquam cum opportunismo vel collaboratione servili identificetur.

1. Relationes inter episcopos et sacerdotes

a) Omnino optandum est, ut relationes inter episcopos et sacerdotes fiduciae plenae et amicales sint.

Ratio in eo est, quod omnes (hierarchia, ^{et} presbyteri, laici) unum corpus Christi efformant. Omnes ergo animati sint voluntate sese identificandi cum tota ecclesia hodierna. Ad mutuum fiduciam servandam et firmandam necesse est, a priori credere in bonam alterius voluntatem.

Controversiae semper erunt, sed componendae sunt colloquiis directis et personalibus.

Ad mutuum fiduciam firmandam quaerendi sunt modi, quibus sacerdotes et etiam populus Dei in electione novi episcopi partem congruentem habere valeant.

Insuper Episcopus omnibus occasionibus uti debet, ut presbyteros suos cognoscat, eos audiat, de periculis moneat. Ipse vero et nova experimenta libenter initiet et promoveat.

b) Consilium presbyterale, quod totum presbyterium dioecesis repraesentat, est organum responsabilis cooperationis. Episcopus, in decisionibus liber quidem remanens, procedet pro posse secundum presbyterii vota. Tali modo identificatio sacerdotum cum ecclesia dioecesana efficaciter fovetur, ideoque consilium presbyterale adiumentum est non solum episcopo sed etiam presbyteris. Ex alia autem parte a consilio presbyterali omnino vitandae sunt omnis actio pressionis et omnis burocratiae forma. Consilium presbyterale partem habet in deliberatione ^{rerum} magni momenti, sed non in executione.

c) Dioeceses nimis magnae detrimentosae, ideoque dividendae sunt. Attamen dioecesis nimis parva vix valet esse ecclesia viva.

d) Repraesentativa sacerdotum invitatio ad conferentias episcoporum utilis esse possit pro quaestionibus determinatis, retenta indole propria conferentiae episcopalis.

Sacerdotes regulares ad clerum dioecesanum pertinent et in consilio presbyterali congruenter repraesentari debent.

- e) Consilium presbyterale est repraesentatio officialis sacerdotum. Liberae sacerdotum consociationes utiles ^{esse} ~~sunt~~ possunt. Per eas unitas in dioecesi (quod sit criterium primum earum legitimitatis), spiritualitas sacerdotalis, fervor pastoralis foveantur. Attamen vitandum est, ne coetus pressionis fiant.
- f) In omnibus officiis dioecesanis sensus pastoralis primatum tenet. Omnes officiales curiae meliorem collaborationem et coordinationem quaerant.
- Consilium pastorale, quod totum populum Dei alicuius dioecesis repraesentat, cum consilio presbyterali apte coordinetur.

2. Relationes inter sacerdotes et laicos

Quaestio quaenam munera in actione pastorali demandanda sint laicis, non facile resolvitur. A sacerdotibus agnoscendum est, laicos variis in rebus propriis maiorem aptitudinem et capacitatem habere. Sacerdotes curare debent profundiorum efformationem theologicam et spiritualem eorum, qui cum ecclesia collaborant. Non sufficit, quod laici mera opera auxiliaria minoris momenti praestant, sed eis committi debet responsabilitas propria in decidendo et agendo. Sacerdos adiumenta praebet, ut singuli laici eorumque associationes situationem concretam recte perscrutentur, eamque in luce evangelii diiudicent et inde consequentias practicas deducant. Ab omnibus communitatibus et adunationibus ecclesiasticis ratio de propositis et de operibus commissis saepius efficaciusque reddenda est. " Prae oculis habeant Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, ius et officium exercendi apostolatatum esse commune omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae etiam laicos partes proprias habere. Quapropter fraterne cum laicis operentur in Ecclesia et pro Ecclesia, specialemque curam habeant laicorum in eorum operibus apostolicis" (Vat. II, Decretum de apostolatu laicorum, n. 25).

Ministerium sacerdotale est esse pro Deo, cuius vocationem et voluntatem sacerdos sine ullo respectu humano sequi debet, et esse pro ecclesia ac pro omnibus, quibus inserviando omni tempore liber sit oportet.

Coelibatus vero multimodam convenientiam cum sacerdotio habet. Sacerdos enim deditur servitio novae humanitatis, quam Christus per Spiritum suum in mundo suscitavit; per coelibatum propter regnum coelorum in forma vitae suae realizat sequelam Christi, cui indiviso corde facilius adhaeret totqliter vacando servitio Evangelii. Coelibatus insuper efficitur signum vivum illius mundi futuri per fidem et caritatem iam praesentis.

Societati hodiernae non facile patet aditus ad nuntium eschatologicum Christi. Praedicatio solis verbis innisa vix suscitare potest fidem in plenam realizationem eschatologicam. Conditionibus ergo huius temporis plene convenit, quod Ecclesia Latina hodie ministerium sacerdotale iis tantum committit, qui vita sua coelibati signum spei eschatologicae statuunt. Coelibatus insuper respondet functionalismo huius temporis, cum foveat disponibilitatem sacerdotis in munere suo explendo.

Coelibatus verum signum non est, nisi vivitur in evangelica simplicitate et generosa sui ipsius deditio. Conditiones et situationes ad vivendum coelibatum aptiores reddantur, ut verum testimonium sit.

Haec Synodus affirmat mentem suam, ut lex coelibatus in Ecclesia Latina propter congruentiam inter sacerdotium et coelibatum remanere debeat.

(votum maioritatis : 8.)

Votum minoritatis (6) cum hac formula:

Ratione magnae convenientiae coniunctionis inter ministerium sacerdotale et coelibatum haec Synodus optat, ut in Ecclesia Latina regula illa maneat, secundum quam ordinatio sacerdotalis illis solummodo conferri debet, qui firmum habent propositum coelibes manendi.

Fragen für die Abstimmung:

Coelibatus

1. Haec Synodus affirmat mentem suam, ut lex coelibatus in Ecclesia Latina propter congruentiam inter sacerdotium et colibatam remanere debeat.

2. Ratione magnae convenientiae coniunctionis inter ministerium sacerdotale et coelibatum haec Synodus optat, ut in Ecclesia Latina regula illa maneat, secundum quam ordinatio sacerdotalis illis solummodo conferri debet, qui firmum habent propositum coelibes manendi.

Viri uxorati

1. Admissio virorum probatorum uxoratorum ad sacerdotium non approbatur. Sed vere optandum est, ut alia ministeria ecclesiastica instituantur, e.gr. diaconi, adiutores in munere pastoralis etc.

2. ~~Haec-Synodus~~

Admissio virorum probatorum uxoratorum ad sacerdotium generatim non approbatur. Haec Synodus tamen proponit, ut in extrema necessitudine pastoralis possibilitas praebatur admissionem virorum uxoratorum ad ordinationem sacerdotalem per modum exceptionis sub conditionibus praecise determinandis a Summo Pontifice deprecari.

3. Ob rationes pastorales Conferentiae Episcopalis facultas detur ordinandi viros uxoratos, sub conditionibus de consensu Sanctae Sedis determinandis.

4. Conferentiae Episcopales - permissione Summi Pontificis - facultatem habent pro propria regione ordinationem sacerdotalem viris probatis conferendam generatim permittendam (approbandi), conditionibus scilicet clare definitis. (Facultas apud episcopum)

5. Conferentiae Episcopales singulis episcopis facultatem dant ordinationem sacerdotalem conferendi viris probatis - permissione Summi Pontificis pro omni casu - conditionibus quidem clare definitis. (facultas apud Conferentiam Episcopalem)

6. Singulo Episcopo possibilitas datur petendi a Summo Pontifice facultatem ordinandi - per modum exceptionis - virum probatum. (facultas apud Summum Pontificem)

7. Singulo episcopo possibilitas datur petendi a Summo Pontifice

8

facultatem ordinandi - per modum exceptionis - virum probatum,
si Conferentia Episcopalis hæc ~~propria~~ propria regione proba-
verit.

(facultas apud Summum Pontificem consentiente Conferentia
Episcopali)

V. Vita spiritualis pastorum

Notae praeviae:

1. Circulus minor linguae germanicae putat, quaestionem de vita spirituali sacerdotum debere pervadere totam partem practicam.
2. Haec quaestio melius prius ponitur et quidem secundo loco huius partis, quia immediate cum quaestione doctrinali atque cum prima paragrapho de munere sacerdotali coniuncta est.

Haec paragraphus de "vita spirituali sacerdotum" solummodo breves insinuationes atque commendationes continere et sic fere componi posset:

Episcopi sese cum haud paucis in presbyterio confratribus coniunctos sentiunt, qui hisce diebus quoad vitam suam spiritualem gravibus premuntur difficultatibus.

Insimul persuasum habent, nec munera nunc incumbentia expleri nec actualem ministerii sacerdotalis crism superari posse nisi spiritu vivo fidei, spei et caritatis, oratione et sequela Domini cruci affixi.

Profundiolem sensum servitii presbyteralis, quam vestigia Concilii Vaticani II premens haec Synodus evolvere sategit et praesertim illam ideam conciliarum, secundum quam exercitium caritatis pastoralis ut vinculum perfectionis sacerdotalis, ad unitatem vitam et actionem sacerdotum redigens, considerandum est (cfr. PO nr. 14), in vitam spiritualem transferre oportet.

Actio et meditatio, intima cum Patre per Christum coniunctio necnon sedula erga homines et mundum cura ad synthesim semper de novo inveniendam perducendae sunt.

Grave hoc munus sive formationi sacerdotum sive doctoribus s. theologiae sive formationi permanenti et mutuo experientiarum inter sacerdotes commercio incumbit.

10

VI. De re oeconomica .

De remuneratione oeconomica sacerdotum singula in Synodo tractari nequeunt.

|| Synodus confirmat obligationem Episcopi et ius sacerdotis ad remunerationem iustam necnon ad assecurationem in diebus infirmitatis et senectutis.

Postulat, ut systema beneficiorum revisioni a Concilio Vaticano II^o iam desideratae quam citius succiatur.

Commendat incepta - partim iam realizata - compensationis oeconomicae inter dioeceses necnon subventionem ecclesiarum pauperum per ecclesias divites.

Commoneat de stylo vitae missioni Ecclesiae congruente, de spiritu Consiliorum Evangelicorum pro Episcopis et sacerdotibus et de obligatione personali ad opera caritatis.

Cetera, sicut quaestiones de emolumentis stolae aut de stipendiis missarum, in regionibus diversis secundum mentalitatem et circumstantias concretas ordinari debent.

VII. De praeparatione ad sacerdotium hodie necessaria.

(Textus a circolo minore germanicae linguae non definitiva examinatus)

1. Quodnam ideale vitae sacerdotalis candidatis ad sacerdotium hodie praesentanda est?

Praesuppositis quae sub IV et V de caelibatu et de vita spirituali sacerdotum sunt dicta, "ideale" candidatis praestandum repeti debet ab eo, quod esse et facere debebit sacerdos futurus, qui nempe ut testis Dei Deoque addictus esse debet et agere ut zelator salutis christianae liberationisque humanae sub luce mortis et resurrectionis Christi.

Formatio proinde mensuranda est ab ipso ministerio presbyteralis muneris in Ecclesia tamquam sacramento unitatis et salutis pro toto mundo, et quidem hisce in determinatis circumstantiis.

Candidatus perinde formandus est in critice auscultandis signis temporis iisdemque intelligendis sub lumine Evangelii.

Quod involvit studium solidae theologiae, cuius "Sacra Scriptura est anima" (Constitutio Apost. "Dei Verbum", no. 24), in nexu intimo cum scientiis sic dictis humanis.

Formatio ad hoc proinde tendat, ut candidatus ^{familiaris} domi sit tam apud Deum quam apud homines, ita ut apud homines esse possit signum praesentiae Dei in mundo.

Formatio religiosa eaque omnino humana, moralis una cum affectiva, coniungi nequit.

2. Quatenam deberent esse condiciones fundamentales seminariorum, ut respondeant modo essendi iuventutis hodiernae?

Praesuppositis dictis sub no. 1, quae pro omnibus valent, ordinatio concreta praeparationis specialis candidatorum potius relinquenda esset Conferentiis episcopalibus, quae modum essendi iuniorum propria in regione critice cognoscunt.

Nostra in societate omnis formatio ad quaevis "munera directionis" de se exigit ^{genitum} modum academicum, diversificationem et specializationem. Licet non uniformiter pro omnibus candidatis, ingenio diver-

sis, urgeri debeat, formatio tamen religiosa et theologica, culturalis, moralis et affectiva superioris aut academici sit gradus.

Simulque vero curandum est, ut iam in vita theologiae studentium, candidatorum ad presbyteratum, communicatio sit tam cum vita ceterorum studentium et communitatis humanae, quam cum aliqua Ecclesia aut communitate christiana locali; tali modo durante ipsa formatione habetur iam communicatio interna formationem inter et futurum campum operositatis presbyteralis. Tali quoque modo una cum initiatione in theologiam facultates formantur necessariae ad munus inspirationis communitatis christianae, servitii unitatis in communitate et affectus missionarii.

3. Quanam instituta paranda essent in ambitu dioeceseos et nationis pro formatione permanente?

Plus quam in anteactis temporibus formatio continua est necessaria. Concreta huius organisatio potius Conferentiis episcopalibus relinquatur.

Nonnullis in regionibus centra diversa studii pastoralis existunt, in quibus statutis temporibus formatio continua presbyteris praebetur, tam in informationibus dandis, quam in reflectione critica super praxi presbyterali necnon dissertatione super novis sic dictis "technicis" (verbi gratia group dynamics, sensitivity training ect.).

ROMA, 18.X.1971